

Non est autem putandum, quod Propheta in ista petitione pro ciuitate Ierusalem ædificanda & A confirmanda ita precetur, ut non nisi temporalem aliquam prosperitatem ac tranquillitatem respiciat. Absit. Veram illi precatur prosperitatem ex Domini clementia. Ea est autem, si sit fundata & corroborata in pietate in & cognitione Domini, ad quam cooperat omnia dirigere diuinus rex. Illa erat absolucionis quidem futura in regno Christi, attimen pro gratia Dei portione; iam tum respiciebatur ac querebatur a Davide. Discamus hinc qua in re sita sit fortitudo & prosperitas regnum & urbium, quam & a quo debeat reges ac principes petere.

2. Quædam de Deo prædicat. Solent animi piorum per fidem Dei pleraque Deo tribuere, quibus in fide orantes confirmantur, Ita & hic David. Vers. 1. dedit illi יְהוָה: id est, bonitatem ac benignitatem, & חֶסֶד יְהוָה: id est, multitudinem miserationum. 1. Vers. 14. vocat eum salutis suæ Deum: hoc est, tales Deum, a quo toties sit seruatus, qui solus possit saluare. Conueniebat hoc prectioni, qua orabat liberari de sanguinibus. 2. Deinde dat illi יְהוָה: id est, iustitiam. Ea vero hinc nihil est aliud, quam singularis quæ dā bonatas. Græci illud יְהוָה, deinde & נָתַן sepe per vnam dictiōnē reddiderunt, nimirum τὸν δικαιοούσιν. Ut videre est isto loco, ubi יְהוָה reddiderunt τὸν δικαιοούσιν. Et Genes. 19. 20. 21. 24. ubi נָתַן reddiderunt per eandem dictiōnē δικαιοούσιν. Est itaque iustitia Dei qua nos liberat a peccatis nostris per suam gratiam. Vers. 16. & 17. dat illi hoc ingenij, quod non delectetur sacrificijs, oblationibus & holocaustis, de qua re dictum est Psalmo superiore: delectetur verò spiritu contrito & humiliato, hunc esse iucundum illi sacrificium. Contritus autem spiritus est spiritus pauper, de quo Matth. 5. & tremens ad oīnnum sermonem Dei, de quo Esaiæ vlt. Hunc vocat sacrificium, per imitationem, quia dixit: Sacrificium non appetis: & quia putabatur Deus delectari sacrificijs, quale illud est Ioan. 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Cor contritum & humiliatum habebat publicanus Euangelicus: item peccatrix mulier, Lucæ 7. Et hoc David in loco Deo traxit. Faciebat enim ad sui consolationem.

3. Pollicetur aliquid, & prædicit vers. 14. 15. Pollicetur aliquid de sacrificio laudis. De quo hoc loco notanda sunt ista. 1. Quod illud sit. Hoc innuitur in eo quod dicit: Et lingua mea decantabit iustitiam tuam, & os meum annunciat laudem tuam. Instrumenta huius sacrificij sunt, os, lingua ac labia ad laudem Dei aperta. Materia est, de prædicatio & de cantatio laudis Dei: hoc est, eorum quæ ad laudem Dei faciunt: ut si prædicetur ipsius potentia, misericordia, iustitia, & equitas, &c. Ita hic dixit: Decantabit lingua mea iustitiam: id est, bonitatem tuam. 2. Vnde sit. Hoc innuitur in eo quod dicit: Domine labia mea aperias. Ergo nisi Dominus aperiat labia, nemo poterit laudis illi offerre sacrificium.

*Sunt illa de
nono Testa-
mento prædi-
cta.
Osee 14.*

Vers. 19. prædictus propheticus de sacrificijs iustitiae, quæ offerenda sint Deo, ubi Ierusalē fuerit ædificata & confirmata. Sunt autem illa eadem, quorum suprà meminit, nempe laudis, iustitiae: ideo data, quod iusta sint. Per vitulos intellige vitulos labiorum, de quibus in Osea.

B

PSALMVS LII.

ERUDITIVVM DAVIDIS, CVM VENISSET DOEG IDVMAEV,
& indicasset Sauli, dixisset q̄, illi: Venit David ad
domum Achimelech.

ARGUMENTVM PSALMI.

Apparet
huc Psalmū
factū, mox
vbi Abia-
thar filius
Abimelech
¶ fugus ve-
nit ad Dau-
dem, illiq;
crudelitate
Saulis ex-
posuit.

Historia huius Psalmi legitur 1. Sam. 21. 22. In illa nobis egregie depingitur regnum Antichristi, & fors ministerū Christi. Saul typum gerit Antichristi, qui satellites habet crudelitatis suæ ministros. Habet Saul in regno suo sacerdotes, tabernaculum & cultum Dei: sed vult haec omnia non communicari cum Davide. Vult sacerdotes Domini esse iniuriantes suæ ministros. Nō indicastis mihi, inquit, quod David venerit ad vos. Quin & panem & gladium Goliath illi dedistis, & pro eo Dominū consulisti? Morienni. Nec admittit ullam innocentie declarationē. Ita & Antichristus habet sub se cultum Dei. sacerdotes q̄, Domini. Nam sedet in tēplo Dei. Verum haec omnia vult sui iuris esse, & sibi ministrare debere, nec quicquam facere cum exule Christo, quem persecutur, ita, ut secus faciētes, repudiata omni excusatione, interimat crudeliter. Saul habet quidem r. ultos bonos inter suos ministros, qui manum in sacerdotes non audent mittere: verum iuxta habet suos Doëges, proditores, & necis innocētum ministros. Et illi sunt insignes hypocritæ simul & tabernaculum Domini inuisentes & calumniā perditionemq; innocētibus Domini ministris struentes. Ita & Antichristus plerosq; habet, qui verentur se polluere sanguine innocētum: iuxta tamen habet etiam suos hypocritas & impietas satellites, qui parati sunt in omne obsequiū impietatis. David vero gesit, ut & alibi etiam, hic typum Christi. Ut enim regnum Saulis sauiendo decrevit & perit, regnum vero Davidis in medijs persecutionibus prosperatum est, licet sacerdotes interea propter Davidem sint occisi: ita & regnum Antichristi sauiendo interibit, & regnum Christi in medijs persecutionibus & morte piorum promouebit. Nobis itaq; satis sit, seruari Christum & vincere illius regnum, cu interitu regni Antichristi, etiam si occidamur, qui illi contra tyrannidem Antichristi seruimus. Quod sit illud erudituum Davidis hoc Psalmo in re tam crudeli & horrenda, videbimus versu 6. & 7.

VERS. I.



1. VID gloriaris in malitia potens? benignitas Dei extat tota die.
2. Prauitates meditatur lingua tua, sicuti nouacula acuta facies fraude
3. Diligis malum pra bono, Mendacium magis, quam loqui quod iustum
sit. Selah.

4. Diligis